



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 3. Quo tempore obliget vt diuinum est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

bet: quia hoc sacramentum non est medium neces-  
sarium ad illa peccata tollenda, quæ omnia supra  
demonstravi, & ex communi usu, & consensu tori-  
us Ecclesiæ constât: & non obscure identantur in  
Trident. ses. 14. c. 5. & canon. 7. Occurrebat vero hoc  
loco dubium, an, qui habet dubiam conscientiam  
peccati mortalis, obligetur hoc præcepto diuino.  
Sed hoc dubium expediendum est ex principiis po-  
sitis disputatione de Integritate, ubi tractavi, an ne-  
cessarium sit ad integritatem confessionis, confite-  
ri dubiū peccati mortalis: eo enim modo, quo quis  
obligatur ad confitendum hoc dubium propter in-  
tegritatem, obligabitur etiam ad confitendum tale  
dubium, etiam si nullum aliud peccatum mortale  
habeat: est enim eadem ratio, illa enim materia, quæ  
est necessaria ut pars confessionis, si cum alia con-  
iuncta sit, erit etiam per se necessaria, si sola addit;  
quocirca præter ibi dicta, nihil hic occurrit adden-  
dum.

SECTIO III.

Quo tempore obliget hoc præceptum præcise, ut  
diuinum est.

Distinguendus est, ut sæpe tractavi, duplex mo-  
dus, quo potest homo obligari ad actum, qui  
sub aliquod præceptum affirmatiuum cadit. Primus  
est per se ex vi talis præcepti in propria natura, &  
virtute considerati. Secundus est per accidens, seu  
propter aliquid, seu ratione alterius virtutis. Dicam  
prius de priori modo; deinde de secundo.

Primum ergo statuamus ut certum, non teneri  
hominem qui mortaliter peccat, statim confiteri  
peccatum, etiam si commodissime possit. Quanquã  
contrarium docuerunt Guilhelmus Paris. lib. de  
Sacramentis, tit. de penitentia, & refertur Reineri-  
us 1. part. Summ. verb. Confessio, cap. 5. tenet Ange-  
lus verb. Confessio, i. num. 3. & Alenſis. 4. part. q. 77.  
memb. 4. art. 2. Bonauentura in 4. d. 17. art. 4. qu. 2.  
qui maxime religiosi imponit hanc obligationem:  
quia habent semper optimam opportunitatem sta-  
tim confitendi. Refertur etiam pro hac sententia  
græues Doctores Canonista à Couarruua in c. Alma  
mater, p. 1. §. 1. n. 6. Sed nihilominus hæc sententia ne-  
que est vera, neque, ut ego existimo, admodum p-  
babilis, & ideo omnes alii Theologi illi contradi-  
cunt, quos statim referam. Quia tãta obligatio im-  
ponenda non est, sine sufficienti, & manifesto f-  
damento; hæc vero sententia nullum habet. Præ-  
sertim, quia natura præcepti affirmatiui nõ est sta-  
tim obligare, sed determinatis, seu necessariis tem-  
poribus. Ostendimus etiam supra non obligari ho-  
minem statim ad contritionem: multo ergo minus  
ad confessionem. Denique, cum Ecclesiã deter-  
minauerit tempus annuæ confessionis, satis certe  
indicauit, non esse de iure diuino statim confi-  
teri.

Secundo certum est, saltẽ in articulo mortis obli-  
gare hoc præceptum, si ante impletum nõ sit. Con-  
ueniunt omnes Theologi, & est euident ex dictis:  
tum quia hoc præceptum affirmatiuum obligare  
debet saltem in extremo periculo, seu potius arti-  
culo necessitatis, qualis maxime est articulus mor-  
tis: tum etiam, quia hoc præceptum impleri debet  
in hac vita: ergo ante mortem: ergo, ut minimũ, in  
articulo mortis. Quis autem sit articulus mortis, &  
quo modo eadem ratio sit de periculo mortis, su-  
pra dictum est. Et hinc infertur, si quis habeat copiam  
confessoris, & sit in eo statim, in quo, si nunc nõ con-  
fiteatur probabiliter timeat fore, ut ante mortem  
non possit habere copiam confessoris, ut accidere  
potest in India, vel aliqua captiuitate, in tali casu te-  
neri ad cõfiteendum statim, etiam si extra articulum

A mortis sit. Quem casum ponunt omnes Doctores  
statim citandi, D. Thomas, Paludanus, Adrianus q. 3. de Confessione; & in re ipsa, ac moraliter loquẽ-  
do, non est diuersus à periculo mortis: ideo enim  
tunc teneretur præuenire: quia alias exponitur pe-  
riculo moriendi sine confessione, ut in simili dice-  
mus latius disput. sequi. Hic vero tractari cõsequen-  
ter posset, qua ratione, aut modo excusari posset  
homo ab hac obligatione in eo articulo. Sed com-  
modius hoc dicam disput. sequenti.

Vnum vero hic obiter obseruandum est occasio-  
ne huius obligationis confitendi in articulo mor-  
tis, iure positiuo præceptum esse medicis, ut cum  
vocantur ad curandos ægros, priusquam curati-  
onem corporis incipiant, eos moneant ad confes-  
sionem faciendam. Ita habetur in cap. Cum infirmi-  
tas, de Pœnitent. & remiss. Et quoniam hæc lex cõ-  
suetudine abrogata erat, ideo Pius V. motu proprio  
anno 1566. qui incipit, Super gregem, illam renouauit  
addendo, ne medici ultra tertium diem visitent æ-  
grotum, nisi de illius confessione sibi constet per fi-  
dem confessoris in scriptis datam. Addit etiam, ut  
ante gradum Doctoratus exigatur ab illis iuramẽ-  
tum hanc consuetudinem seruandi, quod ita sit. In  
qua lege primo notandum est, de qua infirmitate  
sit intelligenda: nam Syluester verbo, Medicus, quest.  
3. dicit, non tantum in morbis periculosis, sed abso-  
lute in omni ægritudine esse seruandum, quod cum

C Archidiacono colligit ex ratione legis, scilicet, ne  
infirmi, cum de confessione facienda admonentur,  
existiment se iã esse in periculo, & tristitia affician-  
tur. Propter quam rationem videtur lex voluisse, ut  
absolue in omni morbo talis admonitio fieret. Ni-  
hilominus Nauarrus capit. 25. numer. 61. sequens  
Angelum, & Summam Rosel. quos citat, dicit hanc  
legem solum obligare in morbo periculoso, debere  
tamen seruari statim in principio morbi non expe-  
ctato periculo, & hoc modo satisfieri intentioni le-  
gis: nam in leuioribus morbis ridiculum videri po-  
test statim monere ad confessionem. Caietanus ve-  
rò in Summa veb. Medicus, media quadam via in-  
cedit: quia, si morbus (inquit) talis est, ob quem me-  
rito decumbit ægrotus, obligat lex, non verò in ali-  
is. Et hæc sententia bene explicata videtur satis cõ-  
sona intentioni legis, & fere nihil differre à præce-  
dente. Itaque existimo obligare hæc legem in mor-  
bo graui, vel qui prudenter iudicatur à medico in  
principio periculum morale esse ne graue fiat: tunc  
enim optimè procedit ratio legis, & quasi ex natura  
rei videtur hoc requiri, ut ratio facta probat.

Secundo est notandum, hos auctores docere, sa-  
tisfacere medicum huic obligationi admonendo,  
& inducendo infirmum, non tamen teneri illum  
deserere, si confiteri nolit: quia hoc videtur repu-  
gnare charitati, quod quidem iuxta antiquum ius  
non habet difficultatem. Tamen Pius V. videtur  
amplius præcipere, & hanc imponere veluti iustam  
penam ei, qui in illo articulo confiteri non vult.  
Quia tamẽ videtur hæc lex sic exposita valde rigida  
(hoc enim modo cõstituitur proximus in graui pe-  
riculo corporis & animæ) ideo videtur lenienda:  
nam, si nõ imminet probabile periculum, potest &  
forte debet medicus abstinere à curatione eius, si  
nolit hanc legẽ obseruare; si tamen probabile mor-  
tis periculum sit, si illum deserat, & tamen æger per-  
tinax sit, non credo teneri, nec debere medicum il-  
lum deserere: quia non credo hanc fuisse mentẽ Pa-  
pæ, neque legem cum hoc rigore receptã esse. Ter-  
tio addit Caietan. & alii, satisfacere medicum, si ad-  
moneat infirmũ, vel per se, vel per eos, qui eius cu-  
ram gerunt, si sint fide digni, & timorati: & hæc cre-  
do esse communem consuetudinem, iuxta quam  
iam non seruatur, ut medicus exigat fidem confes-  
soris in scriptis. Vnde iuxta hanc consuetudinem,  
erit interpretandum iuramentum seruandi hanc  
legem,

D Tho.  
Palud.  
Adr.

Vnde rena-  
antur me-  
dici admo-  
nere infir-  
mos ut con-  
fiteantur.  
Pius V.

De qua in-  
firmi itaq;  
intelligen-  
dum sit.  
Sylu.

Sylu. raiici-  
tar.

Satisfacere  
medicum  
admonendo  
infirmum.

Trident.

Prima af-  
ferio.  
Neminem  
obligari sta-  
tim post pec-  
catum con-  
fiteri.  
Guilhel.  
Reiner.  
Alenſ.  
Sylvan.

Secunda af-  
ferio.  
Saltem in  
articulo  
mortis obli-  
gari.

legem, scilicet prout vsu recepta est, & obligat: cum enim hæc lex positiva sit, non est dubium (quidquid Angelus dicat) quin in totum, vel in partem potuerit consuetudine abrogari, vt Caietanus & alij dicunt.

*An obliget hoc præceptum extra articulum mortis.*

D. Tho.

Scot.  
Dnr.  
Gabr.  
Rich.  
Palud.

Sst.  
Cano.  
Vic.  
Covar.  
Medin.  
Marfil.

Reprob. sur.

8  
Tertia sententia  
Hoc præceptum obligat ante articulum mortis.

**N**unc superest difficultas, an extra hunc articulum mortis hoc præceptum diuinum confessionis, per se & vi sua obliget: graues enim Theologi negant, D. Thom. distinct. 17. quæstion. 3. artic. 1. quæstion. 4. docet, non esse peccatum mortale differre confessionem vsque ad mortem, nisi causa dilationis aliunde malitiam mortalem inuoluat. Scotus idem sentit dist. 17. art. 4. circa finem, & Durandus q. 10. num. 3. Gabr. artic. 3. dub. 1. Richard. artic. 3. q. 6. Paludanus quæst. 2. artic. 5. Fundamentum solum est: quia præceptum affirmatiuum non obligat nisi in articulo necessitatis: at vero, per se loquedo, ante mortem nullus est articulus necessitatis confessionis faciendæ. Hæc vero sententia displicet recentioribus discipulis S. Thomæ, vt Soto dist. 18. qu. 1. art. 5. Cano dista. Relect. Victorie in Summa, nu. 132. quos sequitur Couarruuias in cap. *Alma mater*. p. 1. §. 1. nu. 6. Et idem tenuit Medina Cod. de Confessione q. Quo tempore confiteri oportet, & Marfilus in 4. quæst. 12. artic. 2. dub. 4. concl. 3. Ex quibus hæc regula colligitur, Quodcumque est periculum mortis, extra dendi obliuioni peccata priusquam aliquis ea confiteatur, teneri hominem statim confiteri. Vnde: quia moraliter esset impossibile integre confiteri omnia peccata, si confessio in articulum mortis differretur, inde fit, vt hæc obligatio sæpius antea vrgeat, & ille etiam dici potest articulus necessitatis, non propter mortem instantem, sed propter periculum obliuionis, atque adeo propter necessitatem integre confitendi.

Sed hæc sententia difficultatem patitur in sequenti disputatione latius tractandam: sequitur enim ex illa, non posse nunc fideles per annum integrè differre confessionem regulariter, ac moraliter loquendo: quia vix est aliquis eorum, qui semel tantum in anno confitendo possit omnium peccatorum recordari. Si autem illa obligatio est iuris diuini, non poterit Ecclesia per suam determinationem illam auferre. E contrario vero sequitur, si quis scribendo peccata, vel alio modo diligentiam faciat, ne peccata memoria excidant, posse differre confessionem toto tempore, quo voluerit vsque ad articulum mortis, secluso iure positiuo; quod tamen est contra sententiam doctorum auctororum, & contra rationem huius præcepti, quod per se non obligat ad retinenda in memoria peccata, sed ad confitenda omnia, quæ memoriæ occurrunt, facta morali, & ordinaria diligentia.

Tertia sententia duo dicit. Primum est hoc præceptum tale esse, vt obligare debeat ante articulum mortis, quod ex natura huius sacramenti satis colligi potest. Primum quidem: quia hoc sacramentum nõ est institutum, vt vltimo disponat hominem iam transiturum ex hac vita, hic enim potius est finis Extremæ vnctionis, sed ad curandos spirituales morbos, & præueniendum ne homo in similes incidat: contra rationem ergo huius sacramenti est, vt in finem vite referretur. Est ergo incredibile tantum vrgeri hoc præceptum in articulo mortis. Quod optime confirmatur exemplo de præcepto Eucharistie: nam, quia illud sacramentum nõ est tantum viaticum, sed præcipue est spirituale alimētum, ideo præceptum de illo sumendo non tantum obligat in articulo mortis, sed sæpe alias. Ac denique: quia hoc sacramentum est determinatio quædam peniten-

tia, & modi, quo satisfaciendum est Deo pro peccatis; & ideo sicut præceptum penitentia, & satisfactiois diuinæ de se non obligat tantum in articulo mortis, vt sæpe dictum est, ita neque hoc præceptum.

Adit vero hæc sententia, hoc tempus, pro quo obligat tale præceptum ante articulum mortis, per Ecclesiam esse determinandum, ad quod relicta est illi potestas à Christo: nam sicut potestatem habet iudicandi de peccatis, ita & definiendi tempus, in quo fieri debet tale iudicium. Dices, quid si Ecclesia non determinasset hoc tempus, in hoc enim punctu difficultatis est. Respondent, fieri non posse, vt Ecclesia hoc non determinet: est enim intolerabilis error, & in magnum animarum detrimentum; & ideo non permittit illum Deus. Vnde hæcenus semper visum est factum esse ab Ecclesia hæc determinationem. Quod si per impossibile non determinasset Ecclesia tempus respondens, tunc nullum posse designari tempus vsque ad articulum mortis: quia nullus est modus faciendi hanc determinationem. Quæ sententia est probabilis, & ad illam facile accommodari potest antiquorum sententia supra citata, & mihi simpliciter loquendo, placet: quia, vt supra dixi, agendo de præcepto contritionis, si in præcepto Penitentia spectemus rationem iustitiae in ordine ad diuinam satisfactionem, non obligat nisi in extrema necessitate; hoc autem præceptum per se sumptum, est quædam determinatio præcepti Penitentia: vnde ex hoc capite non determinat plura tempora necessitatis, pro quibus obliget. Aliunde vero præceptum dilectionis Dei quolibet tempore huius vite impleri potest sine reali susceptione huius sacramenti; & ideo ex vi illius nõ videtur etiam posse determinari aliud tempus huius obligationis. Neque etiam ex sola obligatione propriæ charitatis, propter rationes ibidem factas: ergo, seclusa determinatione Ecclesie, & omni ratione extrinseca, nullum aliud tempus potest certa aliqua ratione designari. Neque hoc est inconueniens: tum quia propter hanc causam hæc potestas, & cura est Ecclesie commissa: tum etiam: quia sufficit quod propter alios fines, præsertim propter vsum Eucharistia, sæpius hæc necessitas possit occurrere: nam de vsu illius sacramenti quia non est per se primo propter remotionem mali, sed propter nutritionem charitatis, aliter forte sentiendum est, vt in superiori tomo latius declarauimus.

*De obligatione per accidens.*

**C**irca aliam partem de obligatione per accidens, duo tempora occurrunt breuiter notanda. Primum est, quando confessio censetur medium moraliter necessarium ad superandam tentationem aliquam, seu peccandi occasionem. Quem casum attingit Caietanus in Summa verb. *Sacramentum alij confessio*, & Petrus Soto. lect. 5. de Confessione, & vix audent aliquid circa illud definire. Obseruandum vero est, duobus modis hoc posse accidere, primo in ordine ad determinatam speciem peccati, vt homicidij, odij & c. sic, posita hypothefi, quod reuera confessio existimeret hic, & nunc in hac persona, & cum iis circumstantiis medium necessarium ad vincendum tale peccatum; certum est obligari tunc hominem ad talem confessionem: quia qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media necessaria ad talem finem. Vnde, si ieiunium, vel oratio existimerentur medium necessarium, sub obligationem caderent, ergo & confessio. Tunc autem illa obligatio non orietur ex præcepto confessionis; sed ex illo eodem præcepto, ex quo tenetur homo ad vitandum tale peccatum: quia illud met obligat ad media necessaria; vnde, si in tali casu homo confessio-

9  
Tempus  
quod obligat  
ante mortem  
dum est in  
Ecclesia  
Chriftus  
Soluatur.

10  
Quando  
Pestis  
dum moriturus  
supra  
textum  
Causa  
Petr. Soto

nem omittat, non peccat contra præceptum diuini confessionis, sed contra illud aliud de non occidendo, &c. vt alias sæpe dictum est in similibus.

Secundo potest hoc intelligi in ordine ad peccatum in communi, vt verbi gratia, cum aliquis si confessionem multo tempore differat licet determinate non timeat ne adulteretur, vel occidat hominem; vel quid simile; timet tamen, & moraliter certus est sæpius se peccaturum mortaliter in hoc, vel illo genere peccati; cum tamen, si frequentius confiteretur, moraliter sperat posse se omnia vel multa peccata vitare: videtur ergo tunc saltem lex charitatis diuine obligare ad vtendum tali medio propter vitandum peccatum; imo ipsa lex virtutis Pœnitentiæ videtur talem obligationem inducere: quia est quædam lex iustitiæ ad Deum, & lex iustitiæ obligat ad vitandam iniuriam, & consequenter ad vtendum medio existimato ad hanc finem necessario. Quod argumentum fateor esse difficile, sed tamen auctores non imponunt hominibus hanc obligationem; nec ego etiam impono: quia esset res valde onerosa, & scrupulosa: vix enim possent homines, qui per annum integrum confessionem differunt, à nouo peccato propter talem dilationem excusari: quia vix vllus est, qui moraliter possit vitare per totum annum omnia peccata mortalia, omitendo hoc sacramentum. Ratio vero reddi potest, quia, quando in communi loquimur, nulla censetur moralis occasio, vel periculum morale alicuius peccati, & ideo non censetur tunc confessio ita medium necessarium, vt illius sit specialis obligatio: scilicet vero est quando de speciali peccato loquimur: quia tunc semper censetur homo potius in occasione, seu morali periculo peccandi. Addo vero, etiam si prior casus, ex hypothefi facta, verus sit; ipsam tamen hypothefim, moraliter loquendo, raro posse accidere: quia vix potest cogitari occasio, in qua non possit superari tentatio, aut vitari nouum peccatum, nisi per medium confessionis, vt ostendunt quæ in similibus supra diximus de contritione; quamquam negari non possit quin frequenter hoc sit optimum, & vtilissimum medium.

Aliud tempus huius obligationis etiam ab extrinseco sine proueniens, tunc occurrit, quâdo homo suscepturus est Eucharistiam: nam, si conscientiam peccati mortalis habet, tenetur iure diuino confessionem præmittere, iuxta doctrinam Concilij Trident. sess. 13. quam superiori tomo in proprio loco late tractaui simul cum alia speciali obligatione, quam Concilium sacerdotibus imponit. Vnum autem breue dubium videtur proprium huius loci, scilicet, an hæc obligatio confessionis sit proprie per accidens, vel per se respectu præcepti confessionis; & consequenter, an qui sumit Eucharistiam non præmissa confessione committat duo peccata, alterum omissionis ex carentia confessionis, alterum commissionis propter indignam sumptionem Eucharistiæ. Cano enim in dicta relect. part. 4. existimat hæc esse duo peccata, vbi specialiter de contritione tractat: est autem apparentior ratio de confessione: quia obligatio præmittendi confessionem non oritur veluti ex sola natura rei propter dignitatem talis sacramenti, sed oritur ex speciali præcepto Christi: ergo erit specialis obligatio, & speciale peccatû. Respondetur tamen hæc esse obligationem pertinentem ad dignam Eucharistiæ sumptionem; & que ita respectu præcepti confessionis esse obligationem per accidens, & denique in dicto casu tantum committi vnum peccatum indignæ sumptionis. Ita docet Soto dilinct. 17. & 18. questio. 1. articulo quarto, & Cano, qui in hoc non sibi conflat in eadem relect. par. 5. in quadâ solutione ad 4. Et ratio est, quia tali præcepto non per se, & absolute præcipitur confessio, sed solum vt dispositio, si sumenda sit Eucharistia: ita ergo illa obligatio est propter Eucharisti-

A & confessio non præcipitur nisi vt circumstantia Eucharistiæ, & ideo illud tantum est vnum peccatum; sicut in vniuersum facere actum sine debitis circumstantiis vnum peccatum est, per se loquedo, vt orare sine attentione. & in præseci materia sumere Eucharistiam post sumptionem alicuius cibi, est vnum peccatum, quamuis speciali præcepto Ecclesiastico teneamur ieiuni accedere ad Eucharistiam: omnia enim hæc præcepta ordinantur ad vnum actum virtutis perfecte constituendum, & ideo vnum peccatum est talem actum sine debitis circumstantiis facere.

Vltimo tandem quæri potest, an hæc obligatio per accidens conficendi habeat locum in aliis sacramentis, de qua re egimus satis in materia de sacramentis in genere. Quamquam ergo nonnulli Theologi id affirmare voluerint vt Martil. in 4. q. 12. art. 1. in fin. & Palud. d. 17. qu. 2. Adrian. qu. 3. de Confessione. Tamen certa sententia est, nullum esse tale præceptum, neque talem obligationem, vt reliqui Theologi docent in 4. dist. 1. & dist. 17. & Syluester, Confessio. 1. §. 2. Angel. nu. 31. Victoria in Summa numer. 135. Pe. 1. Soto lect. 5. de Confessione. Et ratio est: quia tale præceptum, neque ex sola natura rei colligi potest: quia sufficiens dispositio potest esse cœritio, neque ostendi potest speciale præceptum positum circa hoc impositum: quia nec scriptum est, nec traditione habetur. Quin potius in Concilio Tridentino, sess. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonij, satis indicatur, hoc non esse simpliciter necessarium, quamuis consulendum sit: D. Thomas vero quodlib. 1. art. 11. excipit sacramentum Ordinis, & cum illo Natarrus cap. 2. numer. 9. sed id non est propter ipsum sacramentum Ordinis præcise, sed propter Eucharistiam, quam simul accipere solent, qui ordinantur. Obiicit vero potest Leo Papa Epistola 69. dicens, fideles ad communionem sacramentorum recipiendos esse per ianuam reconciliationis: quo nomine hoc sacramentum significat. Tamen Leo ibi non loquitur de omnibus sacramentis, sed de Eucharistiâ, vt ex contextu constat, & ex voce, Communionem sacramentorum: nam per antonomasiam, & vox communionis, & vox sacramenti, Eucharistia dici solet, & propter duplicem eius speciẽ sæpe solet in plurali, sacramenta vocari, vt constat ex multis Collectis, seu orationibus Ecclesiæ, & in propria materia latius dictum est.

SECTIO IV.

Per quam confessionem impleatur hoc diuinum præceptum.

Triples potest esse, vel cogitari confessio, scilicet nulla, & valida informis, & valida formata per gratiam. De duabus extremis facilis est resolutio; de media vero nonnulla dubitatio. Primo ergo certum est, quacunque ratione contingat confessionem esse nullam, id est, ex ea non confici validum sacramentum, non impleri hoc præceptum diuinum. Probat: quia tunc non solum finis præcepti non obtinetur, verum etiam neque actus præceptus perficitur: obligamur enim ex vi huius præcepti ad recipiendum hoc sacramentum; tunc autem non recipitur. Vnde intelligitur non solum hoc procedere quando confessio est nulla ex culpa, vel defectu ipsius pœnitentis, scilicet: quia vel peccatum tacuit, vel sine vlllo dolore confessus est; in quibus casibus res est manifesta, sed etiam procedere, quando ex parte sacerdotis sacramentum non perficitur iure, vel iniuria: nam, licet in eo casu excusari possit pœnitens à transgressione huius præcepti pro eo tempore: nihilominus in re ipsa non impletur præceptum, & ideo tenetur, vel perfectionem illius sacramenti procurare, si fieri potest, vel, si non potest, iterum eadem

19  
An sit hæc obligatio in aliis sacramentis.  
Martil.  
Palud.  
Adrian.  
Victoria.  
Syluester.  
Angel.  
Vitor.  
Pet. Sot.

Conc. Trid.  
D. Tho.  
Natarrus.  
Leo P. 69.

Per confessioem nullam non impleri hoc præceptum.

13  
Obligatio hoc præcepti quando sumenda est Eucharistia Trident.  
An hoc obligatio sit per se, an per accidens respectu confessionis.

Cano.

Respondetur quæst.

Sot.

Cano.

Fr. Suarez. tom. 4.

Kr dem